1334

Sit omnibus notum quod Ego Petrus de Rippa de villa calidarum Tutor datus constitutus et assignatus per venerabilem Galdinum Arberti baiulum dicti loci Petro Sancie et Guillelmo pupillis filiis Arnaldi de Rippa quondam dicte ville fratris mei et Arnaude
Guillelme uxoris eius quondam et bonis et hereditati eorum prout de dicta dacione et assignacione Tutele melius et plenius apparet per instrumentum publicum confectum auctoritate Bngarii de Calderiis Regia auctoritate notarii publici Curie Calidarum de Monte Bovio sep-
timodecimo kalendas Decembris anno infrascripto pro solucionis Bernardo Oliverii dicte ville Trecentos Quatuor solidos et quinque denarios quos dicti coniuges debebant dicto Bernardo Oliverii cum publico instrumento prout in eo continetur. Quod
quidem debitum a me dicto Tutore racione predicte Tutele cum magna instancia fuit requisitum et requiritur exsolvi per dictum Bernardum Oliverii. Et cum in dicta hereditate dictorum pupillorum non sint aliqua bona mobilia nec semovencia
ex quibus sine minori dampno dicte hereditatis per me solvi et satisfieri possit dictum debitum seu precium eiusdem preter quoddam troceum terre orti infrascriptum. Idcirco auctoritate dicte Tutele pro solvendis predictis Et cum auctoritate et decreto ve-
nerabilis Galdini Arberti baiuli nunc dicte ville facta prius legitima subastacione de predicto trocio orti per Andream de Solano Cursore publicum dicte ville Calidarum per Triginta dies et amplius ut moris est dicte ville gratis et ex certa scientia
per dictos pupillos et successores suos ad bene meliorandum habendum et tenendum atque in sana pace ipso possidendum stabiliter et in emphiteosim dono et concedo vobis Raymundo Tuns filio naturali Arnaldi Tuns dicte ville tanquam plus
offerenti et uxori et quibus velitis imperpetuum Cum nullus fuit inventus nec inveniatur qui tantum precium daret vel offerret in infrascriptis quantum vos dictus Raymundus Tuns datis et obtulistis. Quoddam Troceum terre orti cum
omnibus juribus et pertinenciis suis quod dicti pupilli et ego nomine predicto habemus et possidemus infra muros dicte ville Calidarum juxta domos vestras Et tenemus per Arnaldum Marrieri dicte ville qui hoc tenet per [illegible] dicte
ville et ipse tenet sub dominio et alodio domini Egidii baccalarii dicti Castri de Monte Bovio quod terminatur ab oriente in muros predictos a meridie in domibus vestris predictis et partim in domibus et orto Bernardi de Villa ab occidente
in residuo orto dictorum pupillorum a circio in tenedone Petri de Fonte Jamdictum itaque troceum orti cum omnibus introitibus et pertinenciis suis habeatis teneatis vos et uxor imperpetuum sub tali tamen pacto forma et condicione quod pro censu predicti trocei
orti et omnibus melioramentis que ibi feceritis vos et uxor detis et tribuatis vos et uxor dictis pupillis et suis imperpetuum in primo venturo festo sancti Michaelis et deinde anno quolibet in eodem termino sive festo imperpetuum duos solidos
barchinonensis de terno In hiis autem non faciatis nec reclametis vos vel uxor alium dominum seu dominos nisi tantum dictos pupillos et successores suos et dominos antedictos et successores suos. Liceatque vobis et uxori predicta que vobis et
uxori stabilio nomine predicto et in emphiteosim dono et concedo vendere stabilire et alio modo alienare vestro consimili et uxoris salvo tamen semper dictis pupillis et suis imperpetuum dicto censu duorum solidorum et jure dominio et fatica
Triginta dierum eorundem pupillorum et suorum successorum Et salvo et semper in predictis censu jure dominio et fatica Triginta dierum dictorum dominorum. Intrata autem predictorum que vobis nomine Tutoris predicto stabilio et in
emphiteosim dono et concedo est Octuaginta solidos monete barchinonensis de terno. De quibus ego nomine predicto composicione teneatur cum dictis dominis de laudimio eis competenti. de quibus solui nomine predicto missiones que inde neces-
sario fuerint et habuerint et totum residuum misi et converti in solucione dicti debiti. Super quibus quod inde predicta intrata est michi plenarie per vos satisfactum Renuncio excepcioni pecunie predicte non numerate et intrate jamdicte
non habite et non recepte et doli. et omni alii juri racioni et consuetudini contra hec repugnantibus. Insuper convenio et promitto vobis quod predicta que vobis et uxori nomine quo supra stabilio et in emphiteosim dono et concedo
cum omnibus melioramentis que ibi feceritis vos et uxor facia nomine quo supra aut dicti pupilli facient vos et uxor et quos volueritis imperpetuum habere tenere et possidere in pace contra omnes personas Et quod tenebor vobis
et uxori nomine predicto aut dicti pupilli tenebuntur vobis et uxori semper de firma et legali evictione vestrorum. Et pro predictis omnibus et singulis complendis tenendis et observandis obligo vobis et uxori nomine et auctoritate
predictis omnia bona dicte Tutele mobilia et immobilia habita et habenda. Actum est hoc Nono kalendas Februarii anno domini Millesimo Trecentesimo Tricesimo Quarto. Sig+num Petri de Rippa Tutoris predicti qui hoc laudo
concedo et firmo. Sig+num Arnaldi Marrieri predicti qui hoc firmo in manu et posse notarii infrascripti racione dominii salvo in omnibus jure dominio mei et meorum. Sig+num [illegible] Furtiny predicti qui hoc firmo racione dominii salvo jure meo.

Testes huius rei sunt Bernardus [illegible] Guillelmus de Conamynis et Bngarius de Nogaria.

Sig+num Galdini Arberti baiuli Calidarum de Monte Bovio pro domino Rege predicti. Qui huic instrumento stabilimenti nobis presentato ut supra continetur et omnibus in eo contentis ex parte domini Regis et auctoritate officii quo fungimur auctoritatem interponimus pariter
et decretum et hoc firmamus et apposuimus per manum mei Bngarii de Calderiis Regia auctoritate notarii publici curie Calidarum de Monte Bovio in cuius manu et posse dictus baiulus hanc firmam fecit decimo kalendas Marcii anno domini Millesimo CCC XXX
Quarto. presentibus testibus Arnaldo Arbertti et Bngario de Prato. Et ideo Ego Bngarius de Calderiis notarius predictus hoc scripsi et hoc meum Sig+num hic apposui.

Ego Michael de Planolo [illegible]

Sig+num Jacobi de Fonte notarii publici Calidarum de Monte Bovio pro Rectore ecclesie dicti loci qui hoc scripsit et clausit.

1334